

SCRIPTA

Numéro Scripta : 7925

Auteur(s) : Gervais et Simon de Manou [particulier]

Bénéficiaire(s) : Aucher de Moulins [particulier]

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1209

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Gervais et Simon de Manou confirment deux donations de terres faites à Aucher de Moulins, et lui en font une nouvelle, comprenant vingt acres, avec bois, etc.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Charencey Hyacinthe (Comte de), *Cartulaire de l'Abbaye de Notre-Dame de la Trappe*, publié d'après le manuscrit de la Bibliothèque Nationale, Alençon, Renaut de Broise (Société historique et archéologique de l'Orne), 1889, I. « Carte de Nocumento », n° X, p. 228-229.

Texte établi d'après a

Nos, Gervasius et Symon de Manou, notum fieri volumus presentibus et futuris quod Symon de Manou, pater noster, de assensu et voluntate nostra, dedit et concessit Auchero de Molins, pro servitio suo, viginti acras de terra que est apud Vadum Petre, cum toto guttario eidem terre adjuncto, ipsi A[uchero] et heredibus suis jure hereditario in perpetuum possidendas, ita quod dictus A[ucherus] vel heres ejus debet reddere patri nostro vel ejus heredibus XII denarios andegavensium de censu, annuatim in festo santi Remigli solvendos, ab omnibus allis servitiis liber in perpetuum et quietus, hoc tamen adjuncto, quod si quis alius a dicto Auchero vel ejus herede terram illam coluerit, molturam reddet de parte sua bladorum, si extra moltam maneret ; si autem intra moltam manserit, molet ad molendinum patris nostri. Dictus vero Aucherus vel ejus heres sua blada, ubicumque portentur, quietia a molta et ab omni alio servitio, ut dictum est, habebit. Illud tamen additum est quod, si relevationem de predicta terra deberi contigerit, duplicatio dicti census tantum pro relevatione persolvetur. Hoc etiam nobiscum concessit Nicholaus, frater noster primogenitus, qui exinde accepit decem solidos andegavensium. Preterea laudamus et confirmamus donationem terre de Mineriiis quam Belengerius et Guillelmus Belensent et Guillelmus Fooutel et Eremborc de Fooutel fecerunt eidem Auchero, ipsi et heredibus suis jure hereditario in perpetuum possidende. Pro qua dictus Aucherus vel ejus heredes reddent annuatim, pro omnibus servitiis, dictis donatoribus vel eorum heredibus quatuor solidos andegavensium ; cujusmodi donationem pater noster, coram quo facta est, eidem Auchero et ejus heredibus concedens in perpetuum ab omni exactione et servitio ad se vel suos heredes pertinente, voluit esse penitus absolutam, hoc adjecto quod, quemadmodum de terra quam pater noster dederat ordinatum est super molta et relevatione, similiter erit et de hac ultima donatione. Dictus autem Aucherus, ut super premissis liberalitatibus patri nostro gratus existeret, eidem XX libras andegavensium dinoscitur contulisse. Nos autem dicti Auchero, pro suo servitio, XX acras terre dedimus et concessimus, juxta dictam terram quam pater noster eidem dederat, et totam noam quam habebamus in valle illa juxta nostram culturam, et magnum boscum de Mineriiis, ipsi Auchero et ejus heredibus jure hereditario in perpetuum possidenda, sub annuo servitio quatuor solidorum andegavensium in festo sancti Remigii, octo diebus antea vel octo diebus postea, sine calumpnia, solvendorum, nullo alio servitio

pro hac donatione amplius, excepta duplicatione census, cum relevatio contigerit persolvenda. Nos autem a dicto Auchero, pro ea donatione, X libras andegavensium accepimus. Hoc siquidem premissis adjungi volumus quod, quicquid idem Aucherus de feodo nostro acquirere poterit, salvo censu qui erit impositus, cum libertatibus premissis donationibus assignans sibi et suis heredibus in perpetuum possidebit. Ut autem omnia premissa debita firmitate gaudeant in perpetuum, sigillorum nostrorum testimonia presenti pagine duximus apponenda. Actum anno ab Incarnatione Domini M° CC° nono.